



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Vtraque difficultas duplici conclusione resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

si diversis rationibus cognoscuntur. Sed illa quanti-
tas quæ est scientia cognitionis, scientia per se compe-
ritur, quia quantitas talis attenditur secundum extrinsecum
operativum intellectus ab intellectu virtute.

Obijciens tertio: Si scientia beata Christi Do-
mini omnia præsentia, futura, & præterita co-
gnosceret, æquæ se extenderet ac scientia visio-
nis Dei. Sed hoc non videtur manifestum, scientia
enim visionis in Deo non se extendit ad merè
possibilia, sed duntaxat ad præsentia, præterita,
& futura. Minor verò probatur: Cum perfectio
scientiæ ex numero objectorum ad quæ se ex-
tendit attendatur, si scientia Christi beatæ, co-
gnoscat omnia quæ Deus scit scientia visionis, æ-
quæ perfectæ ac scientia visionis quæ est in
Deo, sed hoc videtur absurdum. Ergo & illud.

Respondeo primo, negando sequelam Majō-
ris, ad cuius probationem dici potest, quod obje-
ctum ad æquationem scientiæ visionis Dei, non so-
lum est entia positiva, existentia, vel futura, sed
etiam negationes rerum quas Deus decrevit non
producere, unde ex eo quod omnia entia positi-
va, existentia, vel futura, à scientia Christi beatæ
cognoscantur, non sequitur quod attingat obje-
ctum ad æquationem scientiæ liberæ seu visionis
quæ est in Deo.

Respondeo secundo, datā Majōri, negando
Minorem, ad cuius probationem, distinguo Majō-
rem. Si scientia Christi beatæ cognoscat omnia
quæ Deus scit scientia visionis, erit æquæ perfec-
ta, materialiter & extensivè, ac scientia visionis
Dei, concedo. Formaliter & intensivè, nego.
Solutio est D. Thomæ hic art. 2. ad 3. ubi sic di-
citur: Quantitas scientiæ non solum attenditur secun-
dum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem
cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi
quam habet in verbo, parificetur scientiæ visionis quam
Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium,
scientia tamen dei excedit in infinitum, quantum ad
claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia
tamen increatum divini intellectus, in infinitum ex-
cedit lumen creatum quodcumque receptum in anima
Christi. Licet absolute loquendo scientia divina ex-
cedat scientiam animæ Christi, non solum quantum ad
modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum
scibilium. Quia nimirum scientia Dei, prout est
simplicis intelligentiæ (sub qua ratione non di-
stinguitur virtualiter, sed solâ consideratione di-
versi objecti materialis, à scientia visionis) ad
omnia possibilia se extendit, non verò scientia
Christi beatæ, ut docet idem S. Doctor in corpore
eiusdem articuli, & nos articulo præcedenti
fuisse ostendimus.

DISPUTATIO XVII.

De scientia infusa animæ Christi.

Ad questionem 11. D. Thomæ.

Considerata scientia Christi beatæ, progre-
dimur ad aliam speciem scientiæ Christi,
quæ à Theologis indita seu infusa appella-
tur: circa quam plures & graves occurrunt dif-
ficultates, articulis sequentibus resolvendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An & quotuplex scientia per se infusa in
Christo admittenda sit?

Pro intelligentia tituli, & huius diffi-
cultatis resolutione, advertendum est, quod scientia
potest dici dupliciter infusa, per se scilicet & per
accidens. Illa dicitur infusa per accidens, quæ
quantum est ex se acquiri potest per proprios
actus ipsius intellectus, de facto tamen non sic
acquiritur; quia Deus vult se solo illam produ-
cere, sicut fuit scientia Adæ, quæ ejusdem erat
rationis cum illa quam communiter homines
proprio sibi compant labore, sed tamen per
accidens fuit ei a Deo indita. Scientia verò infusa
per se, est illa quæ non nisi a Deo causari potest.
Quando ergo quaerimus in præsentia, utrum in
Christo sit scientia infusa, non loquimur de sci-
entia infusa per accidens, seu per se acquisita, sed
de ea quæ est infusa per se: de qua etiam inquiri-
mus, quotuplex illa fuerit in Christo, & an in il-
lo solum fuerit scientia infusa supernaturalis, vel
utrum præter naturalem, & ad objecta su-
pernaturalia terminatam, alia naturalis, quæ res
ordinis naturalis per species infusas modo an-
gelico cognosceret, in eo constituenda sit?

§. I.

Veraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primo: Præter scientiam beatam fuit in
anima Christi Domini scientia per se infusa,
ita D. Thomæ hic art. 1. & communiter Theo-
logi, exceptis Nominalibus, Alenſi, D. Bona-
ventura, & Durando, qui scientiam tantum be-
atam, & per se acquisitam tribuunt Christo.

Probatur primo conclusio ex Scriptura, asse-
rit enim Apostolus, omnes thesaurus sapientiæ
& scientiæ Dei fuisse in Christo reconditos: Er-
go necesse est ipsum habuisse scientiam per se
infusam, quæ est nobilissima portio scientiæ su-
pernaturalis, quæ ab Apostolo nominatur sci-
entia Dei. Unde Joān. 7. mirantibus Judæis ad
dicentibus: Quomodo hic litteras scit, cum non didi-
cerit? Respondit Jesus: Mea doctrina non est mea,
sed ejus qui misit me. Hoc est non illam meā in-
dultu acquiri, non ab homine illam accepti
neque didici, sed à Patre meo inditam mihi fuit.

Addo quod ad scientiam per se infusam su-
pernaturalem spectant dona illa Spiritus Sancti,
quæ ad intellectum pertinent: illa autem fuisse
in Christo disertè testatur Isaias cap. 11. verbis il-
lis: Flos de radice Jesse ascendet (Christus) & requi-
esceat super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ &
intellectus, spiritus consilii, spiritus scientiæ. Unde
multiplices hos spiritus in Christo solo aduna-
tos observat S. Gregorius 29. moralium cap. 16.
ad illud: Nunquid coniungere valis micantes stellas
Pleiadas? quod adducto proposito loco Isaiæ,
glossat in hunc modum: Redemptor noster in
carne veniens Pleiades junxit, quia operationes
septiformis Spiritus, simul in se, & cunctas ma-
nentes habuit. De quo per Isaiam dicitur, Egre-
diatur virga de radice Jesse & flos de radice eius ascen-
dat, & requiesceat super eum Spiritus Domini, spiritus
sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis,
spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus

timoris Domini. De quo Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Atque iterum: *Et in candelabro aureo lucerna septem.* Nullus verò hominum operationes Sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus mediator Dei & hominum; cuius est idem Spiritus, qui de Patre ante sæcula procedit. Bene ergo dicitur: *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Huic enim lapidi septem oculos habere, est simul omnem virtutem, Spiritus seipiformis gratiæ, in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum, juxta distributionem sancti Spiritus accipit: ad habenda verò cuncta ejusdem Spiritus munera, nemo pertingit. At verò conditor noster, infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suæ potentiam simul se habere omnes Sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes procul dubio Pleiades junxit.)

4. Probatur secundò conclusio ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta. Decens fuit ut Verbum humanitatem assumens, illam perfectam assumeret: Sed si scientiā per se infusā caruisset humanitas, esset imperfecta: Ergo hujusmodi scientiā non caruit. Major est certa, Minor probatur. Omne quod est in potentia, imperfectum est, nisi reducatur ad actum: Sed intellectus animæ Christi est in potentia ad res creatas in proprio genere cognoscendas per species immediate infusas à Deo: Ergo imperfectus esset sine hujusmodi cognitione, & consequenter sine scientiā per se infusā, distincta à scientiā beata quæ sit hujus cognitionis principium, imperfecta foret humanitas Christi.

5. Dices, res omnes in proprio genere per scientiā beatam cognosci ab anima Christi, ac proinde quamvis scientiā infusā, à beatifica distincta careret, non mansuram in potentia ad hujusmodi cognitionem.

Sed contra: Intellectus animæ Christi est in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, non solum ex parte rei cognitæ, sed etiam ex parte mediæ cognoscendi, hoc est taliter quod ipsa entitas creata medium cognitionis sit: Sed quamvis per scientiā beatam cognoscantur in proprio genere, ex parte rei cognitæ, non tamen cognoscuntur in seipsis, ex parte mediæ cognoscendi, cum eas attingat mediare divinā essentia, ut objecto prius cognito, & medio cognoscendi creaturas: Ergo per scientiā beatam non expletur omnis potentialitas intellectus animæ Christi, in ordine ad creaturarum cognitionem, & consequenter illā positā, & exclusā cognitione rerum in proprio genere, habitā per scientiā infusā, potentialis & imperfectus maneret.

6. Confirmatur: Intellectus animæ Christi est in potentia ad creaturarū cognitionem per proprias illarum species immediate à Deo infusas: Sed hujusmodi cognitio non habetur per scientiā beatam, nam species mediā quā lumen beatificum ad creaturas terminatur, est divina essentia primò representans Deum, & secundariò creaturas: Ergo ut perfecta cognitio competat animæ Christi, necessaria est scientiā infusā, à beatifica distincta, ac proinde sine illa potentialis & imperfecta maneret.

7. Probatur tertio conclusio: Ratione unionis hypostatice fuit debita Christo, titulo connaturalitatis, omnis perfectio illi possibilis quæ non repugnat ejus beatitudini, & fini redemptionis

A humani generis; hac enim ratione probatur: Ologi, gratiam habitalem & visionem beatam Christo fuisse debitas, titulo connaturalitatis: At scientiā per se infusā erat Christo possibilis, & nullam repugnantiam habet ei, beatitudine, vel cum fine redemptionis, ut constet: Ergo Christo denegari non debet.

Potest etiam suaderi conclusio ex doctrina Augustini super Genesim ad litteram cap. 2. ubi duplicem distinguit cognitionem in Angelis, nam per quam cognoscunt res in verbo, & per essentiam divinam gerentem vices species intelligibiles, quam vocat *cognitionem naturalem*, & per quam cognoscunt res extra verbum, per species à Deo receptas, quam *cognitionem spiritalem* appellat, ut exponit S. Thomas 1. 2. q. 58. art. 6. & 7. ex quo sic licet arguere. Licet angelus creaturas contemplantur in verbo, per cognitionem beatam, quæ *naturalis* vocatur, tamen in illis alia creaturarum cognitio in seipsis, quæ *spiritualis* appellatur: Ergo patet in Christo, qui est perfectior & superior Angelis, præter cognitionem rerum in verbo, habere per divinam essentiam ut speciem supereminentem, & ut medium cognitionis, ita ut etiam alia cognitio creaturarum in seipsis, per proprias illarum species immediate à Deo infusas.

Probat etiam hanc conclusionem plures nostris Thomistis hoc discursu. Christus Dominus meruit per actus charitatis, non ut comprehensoris sed ut viatoris, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 59. art. 3. ad 1. Ergo meruit per actum charitatis ut regulatum lumine distincto à lumine gloriæ; actus enim charitatis regulatur scientiā beatā erat Christi ut comprehensoris: At lumen illud non erat obscurum, cum deus in Christo non fuerit: Ergo erat clarum, & per se infusum, & consequenter concedenda est Christo Domino scientiā per se infusā distincta à scientiā beata. Eadem ratione utitur Theophilus Raynaudus Tomo de Christo lib. 4. sect. 2. cap. 1.

Verum illa non urget, est enim valde probabilis plurimum Thomistarum sententia ad hunc actum charitatis Christi regulatum scientiā beatā, qui necessarius fuit ut terminatus ad beatitudinem divinam, prout est ratio diligendi Deum; liberum fuisse, prout terminatum ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, ac proinde sub hac ratione meritorium fuisse: Ergo ad salvandum meritum charitatis in Christo, non est necesse recurrere ad scientiā per se infusā à beatifica distinctam.

Dico secundò, Scientiā per se infusā in Christo fuisse duplicem, unam supernaturalem & aliam naturalem. Ita D. Thomas opuscul. 2. cap. 216. ubi duplicem rerum cognitionem distinguit, unam in verbo, & aliam in seipsis, hanc in Angelicam, & humanam subdividit, & rursus tam Angelorum, quam hominum cognitionem rerum in seipsis, in naturalem, & supernaturalem distribuit, hæc verba subiungit: *Et quia nulla perfectio creaturæ exhibita animæ Christi, quæ est creaturarum excellentissima, deneganda est, convenienter præter cognitionem, quæ Deum vidit, & omnia in ipsa, triplex alia cognitio illi attribuenda: una quidem expriment alio fieri animam in seipsis, in quantum aliqua per sensum cognoscit, ut competit humane nature; alia divinitus infusa ad cognoscenda omnia illa ad quæ naturalis cognitio hominis extenditur, vel extendere potest. Et paucis intercessit ita prosequitur. Sed quia Christus secundum humanam*

nam naturam, non solum fuit reparator naturæ, sed etiam gratiæ propagator, affuit etiam ei tertia cognitio, quæ plenissime cognovit quidquid ad mysteria gratiæ potest pertinere. Quibus verbis duplicem scientiam infusam in Christo agnoscit, unam naturalem, & ad objecta naturalia terminatam; alteram supernaturalem, & ad mysteria gratiæ, seu objecta supernaturalia se extendentem. Unde hic quæ 1. art. 1. docet per scientiam divinitus Christo inditam, fuisse reductam ad actum, non solum potentiam obedientiæ quæ potest anima supernaturalia cognoscere, sed etiam potentiam naturalem, quæ potest intelligere quæcumque pertinent ad scientias humanas.

His locis S. Doctor non solum conclusionem nostram aperte docet, sed etiam ad illam suadendam, duplicem rationem insinuat. Prima est: Nulla perfectio aliis creaturis concessa, est neganda animæ Christi: Sed in Angelis reperitur duplex scientia per se infusa, una supernaturalis, per quam objecta supernaturalia extra verbum cognoscunt; alia naturalis, quæ res naturales in seipsis contemplantur, per species quas a Deo in creatione receperunt: Ergo etiam in Christo duplex illa scientia per se infusa, insinuatenda est.

Dices, Majorem esse veram, si sit in humanitate Christi ad omnem illam perfectionem naturalem capacitas; falsam autem, si non sit in illa capacitas naturalis ad aliquam ex illis perfectionibus; animam verò Christi, utpote conjunctam corpori, non esse capacem ad recipiendas species rerum naturalium, non dicentes ordinem ad phantasmata, subindeque per se infusas, bene tamen Angelos, quia sunt substantiæ separata, & independentes à corpore.

Sed contra primò: Animæ separata debetur modus cognoscendi independens à phantasmate, quia in illo statu est independens à corpore, & modus operandi sequitur modum essendi, ut docet D. Thomas 1. part. quæ 9. art. 1. Sed anima Christi Domini, esto sic corpori unita, est tamen independens ab illo, illique quoad cognitionem non subdita, ratione status beatifici, ut asserit idem S. Doctor hic art. 2. Ergo debetur ei illi modus cognoscendi à phantasmate independens.

Confirmatur: Anima Christi Domini solum fuit corpori subdita in his quæ ad salvandum redemptionis nostræ mysterium necessaria fuere, ideo enim impassibilitas non transiit ex anima ad corpus, ut locus nostræ redemptioni per mortem & passionem daretur: Sed quod à corpore in omni cognitione naturali dependeret, non erat ad finem redemptionis necessarium: Ergo talem dependentiam non habuit.

Confirmatur amplius: Anima puri viatoris, quando est corpori conjuncta, non solum pendet à corpore, & à phantasmatibus in naturali cognitione, sed etiam in supernaturali, & tamen anima Christi, quia non solum erat viator, sed etiam comprehensor, à phantasmatibus per se non dependebat in cognitione supernaturali, ut communiter docent Theologi: Ergo non dependebat ab illis per se in omni naturali cognitione, sed aliquam habuit à corpore omnino independentem, subindeque mediis speciebus naturalibus per se infusus elicita.

Secunda ratio quam insinuat S. Doctor hic art. 1. sic potest proponi. Omnis potentia receptiva animæ Christi debuit ad actum reduci, ne im-

perfecta post assumptionem maneret ejus humanitas: Atqui anima Christi non solum erat in potentia obedientiali ad cognoscenda objecta supernaturalia in verbo, sed etiam extra verbum, & ad cognoscenda objecta naturalia, non solum per species à phantasmatibus abstractas, sed etiam per species à Deo infusas, sicut Angeli & animæ separata à corpore ea cognoscunt, ut patet ex dictis ratione præcedenti, & docet expressè S. Thomas quæ 20. de verit. art. 3. ad 1. his verbis: Cum Christus esset comprehensor & viator, habuit utrumque modum considerandi, unum quo Angelus conformabatur, ut sine discursu consideraret, alium quo per conversionem ad phantasmata. Ergo in Christo duplex fuit scientia infusa, una naturalis, & alia supernaturalis.

Confirmatur: Pertinet ad dignitatem animæ Christi omnis intellectualis perfectio, quæ potest animæ rationali in aliquo statu convenire, dummodo cum unione ad Verbum aut cum visione beatifica, aut cum aliqua altera maiori perfectione incompatibilitatem non habeat: Sed cognitio rerum naturalium & supernaturalium, per species à Deo infusas, quæ competit Angelis, & animæ rationali in statu separationis, nec cum unione ad Verbum, nec cum visione beatifica, nec cum altera maiori perfectione, habet incompatibilitatem: Ergo illa animæ Christi attribuenda est, ut magis ex argumentorum solutione patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra præcedentes conclusiones objicitur primò: Scientia infusa in Christo est otiosa & superflua: Ergo non est admittenda. Consequentia patet, gratia enim non minus abhorret à superfluo, quam natura. Antecedens probatur: Per scientiam beatam expletur & satiatur omnis potentia obedientialis animæ Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia, & per scientias acquisitas satiatur ejus potentialitas naturalis in ordine ad cognoscibilia naturaliter: Ergo superflue constituitur in illa scientia per se infusa, à beatifica, & à scientiis acquisitis distincta.

Respondeo negando. Antecedens, ad ejus probationem dicendum, quod licet per scientiam beatam satiatur potentialitas animæ Christi in ordine ad objecta supernaturalia, quantum ad numerum scitorum, non tamen expletur, quantum ad modum sciendi & cognoscendi eadem objecta: Etenim duplex potentialitas obedientialis erat in anima Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia. Prima erat ad cognoscenda hæc objecta in verbo, & hæc potentia obedientialis expleta fuit & satiata per scientiam beatam. Altera ad cognoscendum eadem objecta extra verbum, quæ non expletur nisi per scientiam infusam. Idem proportionaliter dicendum est de potentia ad cognoscenda objecta naturalia: illa enim (ut ex D. Thoma supra ostendimus) fuit etiam duplex in Christo, una ad cognoscendas res naturales per discursum, & species à phantasmatibus abstractas; altera ad eas cognoscendas sine discursu, & per species à Deo infusas: prima expleta & satiata fuit per scientias naturales acquisitas, secunda verò non nisi per scientiam naturalem infusam expleri potuit. Et ita duplex scientia infusa (ut in secunda conclusione monstravimus) in Christo admittenda